



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hviivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XIX. An detur ex parte hominis causa Reprobationis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

aut aliquid boni vel mali egissent: (Vi secundum Electionem Propositum Dei maneret) non ex operibus; sed ex Vocante dictum est ei, &c. *Iacob dilexi; Esau autem odio habui.* Ro. 11. Si gratia; iam non ex operibus: Alioqui gratia iam non est gratia.

Verum in hisce conveniunt nobiscum Calviniani: discrepant Pelagiani. Liquet in meo *Luthero-cal.* p. 4. q. 32.

QVÆSTIO XIX.

*An detur ex parte hominis causa Re-
probationis?*

XXXIII. ANTICHRISTIANISMVS.

ALVINISTÆ perniciter Negant; esseque parem causam ac eandem tum Electionis, tum Reprobationis contendunt tam Positiuæ, quam negatiuæ.

CHRISTVS. Ego vero *veni vocare peccatores; & nolo mortem peccatoris; sed magis ut conuertatur, & viuat:* ceu suprâ pluribus manifestum: nihilominus, quia vocaui, & noluisse; ego quoque ridebo in interitu vestro, sed distinctè.

I. Reprobationis Negatiuæ causa est sola Dei voluntas; id est, Prior actus reprobationis est quo non vult quosdam saluare.

1. *Et quis est qui dicat ei, quare sic facis?* Adeo *Iudicia Dei abyssus multa.*

2. Quia verè, Rom. 9. *Antequam aliquid boni vel mali egissent, Non ex operibus, sed ex Vocante dictum est ei, quia maior seruet minori.* Et *Iacob dilexi; Esau autem odio habui,* scil. in præscientia mea Dei. Nec *Esau odio habui* ob peccatum orig. quia & *Iacob in eadem fuit,* quoad pec. orig. damnationem.

Sed hæc reprobatio dicitur Negati-

ua, qua vnum libero ab or. pec. & alterum non libero; quia sic volo: *Miserebor, cuius miserebor:* Rom. 9. *An non habet potestatem figulus luti.* &c? Proinde Deus cuius vult miserebor, & quem vult indurat. Quæ voces licet positiuum quid sonant; negatiuè tamen capiendæ sunt: sc. quæ Deus non vult aliquos saluari Voluntate Antecedente: de qua hic sola agitur. Et in hac Deus fecit vasa contumeliæ ex massa generis humani, qualia massæ huius natura conditioque requiritur ex se, sc. vasa iræ & odij. Quibus sic in ea conditione relictis, in qua inuenit; non facit iniuriam; sed voluntate sua Antecedente se negatiuè habet: ceu verè exponit *S. Aug. ep. 106.*

II. Reprobationis Positiuæ, id est, Damnationis causa est in solis hominibus reprobis ob tua cuiusque peccata.

1. Idcirco me dicturum prædixi, Mat. 24. *Ne maledicti in ignem æternum.* Qua de causa? *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.*

2. Vnde & Rom. 2. *Ira & indignatio in omnem animam operantis malum.*

3. Debet homo Deum habere Autorem operum bonorum; tamen sine horum præuisione Deus eum prædestinauit, quia voluit & potuit: at habere Deum nequit Autorem malorum operum; ideo cum horum præuisione eum iuste reprobauit Deus positiuè ex causa peccatorum reprobi.

QVÆSTIO XX.

*An Decretum Dei immutabile tollat liberum
arbitrium; necesse sitque tam ad bona,
quam ad mala?*

XXXIV.